



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XXII. De recordatione multiplicium beneficiorum Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

Sis ergo benedictus Domine, qui fecisti hanc bonitatem cum seruo tuo, secundum multitudinem misericordiae tuae.

Quid habet ultra dicere servus tuus eoram te, nisi ut humiliet se ante te, memor semper propriae iniquitatis, & vilitatis?

Non enim est similis tui in cunctis mirabilibus caeli & terrae.

Sunt opera tua bona valde, iudicia vera, & prudentia tua reguntur universa.

Laus ergo tibi, & gloria, Patris Sapiaentia: te laudet, & benedicat os meum, anima mea, & cuncta creata simul.

CAPUT XXII.

De recordatione multiplicium beneficiorum Dei.

I. **A**peri Domine cor meum in lege tua, & in praecipis tuis doce me ambulare.

Da mihi intelligere voluntatem tuam:

tuam: & cum magna reverentia, ac diligenti consideratione beneficia tua tam in generali quam in speciali memorari: ut digne tibi ex hoc valeam gratias referre.

Verum scio, & confiteor, nec pro minimo puncto me posse debitas gratiarum actiones persolvere.

Minor ego sum omnibus bonis mihi præstitis: & cum tuam nobilitatem attendo, deficit præ magnitudine spiritus meus.

2. Omnia, quæ in anima habemus, & corpore, & quæcumque exterius, vel interius, naturaliter, vel supernaturaliter possidemus, tua sunt beneficia: & te beneficum, pium, ac bonum commendant, a quo bona cuncta accepimus.

Etsi alius plura, alius pauciora accepit; omnia tamen tua sunt: & sine te nec minimum potest haberi.

Ille, qui majora accepit, non potest merito suo gloriari, neque super alios extolli, nec minori insultare.

tare:
qui fi
tiande

Et
mat,

tior e

Qu

tristar

ferre,

potius

maxim

ter,

fonari

giris.

On

es lau

Tu

expec

ampli

tuum

singu

4.

magn

multa

cund

tare

tare: quia ille major, & melior, qui sibi minus adscribit & in regratiando humilior est, atque devotior.

Et qui omnibus viliorem se existimat, & indigniorem se judicat, aptior est ad percipienda majora.

Qui autem pauciora accepit, contristari non debet: nec indignanter ferre, neque ditiori invidere; sed te potius attendere, & tuam bonitatem maxime laudare, quod tam affluenter, tam gratis, & libenter sine personarum acceptione tua munera largiris.

Omnia ex te, & ideo in omnibus es laudandus.

Tu scis, quid unicuique donari expediat, & cur iste minus, & ille amplius habeat: non nostrum, sed tuum est, hoc discernere, apud quem singulorum definita sunt merita.

4. Unde, Domine Deus, pro magno etiam reputo beneficio, non multa habere, unde exterius, & secundum homines laus, & gloria apparet:

paret: ita ut considerata quis paupertate, & vilitate personæ suæ, non modo gravitatem, aut tristitiam, vel dejectionem inde concipiat, sed potius consolationem, & hilaritatem magnam: quia tu Deus pauperes, & humiles, atque huic mundo despectos tibi elegisti in familiares, & domesticos.

Testes sunt Apostoli tui, quos *Principes super omnem terram constituisti.*

Fuerunt tamen sine querela conversati in mundo, tam humiles, & simplices sine omni malitia, & dolo, ut etiam *pati contumelias gauderent pro nomine tuo*: & quæ mundus abhorret, ipsi amplecterentur affectu magno.

5. Nihil ergo amatorem tuum, & cognitorum tuorum beneficiorum ita lætificare debet, sicut voluntas tua in eo, & beneplacitum æternæ dispositionis tuæ.

De qua tantum contentari debet, &

& consolari, ut ita libenter velit esse minimus, sicut aliquis optaret esse maximus:

Et ita pacificus, & contentus in novissimo, sicut in loco primo: atque ita libenter despicibilis, & abjectus, nullius quoque nominis & famæ, sicut cæteris honorabilior & major in mundo.

Nam voluntas, & amor honoris tui, omnia excedere debet; & plus eum consolari, magisque placere, quam omnia beneficia sibi data, vel danda.

C A P U T XXIII.

De quatuor magnam importantibus pacem.

I. **F**ili, nunc docebo te viam pacis, & veræ libertatis.

Fac, Domine, quod dicis, quia hoc mihi gratum est audire.

Stude, fili, alterius potius facere voluntatem, quam tuam.

Elige semper minus, quam plus habere.

Quære